

ab illo Deutr. 18, 18. Quam DOCTORVM MISCHNICORVM sententiam GEMARA tam BABYLONICA, quam HIEROSOLYMITANA explicat. Audiamus uerba GEMARAE BABYLONICAE k) ת"ר שלשה מיתתן בירי אדם ושלשה מיתתן בירי שמים המתנבא מה שלא שמע ומה שלא נאמר לו והמתנבא בשם עבודה זרה מיתתו בירי אדם הכובש את נבואתו והמוותר על דברי נביא ונביא Tradunt Doctores nostri. *Triples prophetarum genus punitur a iudicio humano, et triplex eorum genus a Deo multatur. Qui praedicat quod non audiuit, et quod non ipsi, sed alteri mandatum est, annunciat, et qui uaticinatur in nomine Numinis cuiusdam alieni, illius poena capitalis est in manibus hominis: qui autem prophetiam suam supprimit, uel alius uatis uerbis aliquid addit, aut sui ipsius uerba non obseruat, hic coelitus puniendus est.* Sed l) GEMARAE HIEROSOLYMITANAE *expositionem*, quae, ut rem distinctius demonstraret, hanc legem exemplis illustrat, paucis habet: ונביא השקר המתנבא מה שלא שמע כצדקיה בן כנענה ומה שלא נאמר לו כחזקיה בן עזר והכובש אתי et uates mendax, qui uaticinatur, quod non audiuit, sicut Zedekia filius Chenanae, uel id, quod ipsi non dictum est, ut Chania filius Asur, uel qui supprimit prophetiam suam, ut Iona filius Amitbai.

Quis autem est FALSUS PROPHETA et quomodo diiudicari possunt dogmata seu uaticinia eius? Melius deinceps haec patebunt, si antea de notione FALSI PROPHETAE inter nos conuenerit. FALSUS VATES hoc loco non est ille, qui populum Israeliticum ad nouam ἀρεσκω, seu cultum alienum

C 3

incitat,

k) in Codicem SANHEDRIN Cap. X. fol. 89. col. 1. in med.

l) in eundem Codicem Cap. XVIII. fol. 30. col. 2. in med.